

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI.

7

- malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.
- LXV. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eō quid ullum Deo dederint filium, cūm non efficerint nisi mancipia per timorem.
- LXVI. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instantem naturalem, aut per timorem, sicuti bestie, sed per fidem, & per amorem sicuti filii.
- LXVII. Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.
- LXVIII. Dei Bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide, & precibus.
- LXIX. Fides, usus, augmentum, & premium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.
- LXX. Nunquam Deus affigit innocentes; & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.
- LXXI. Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.
- LXXII. Nota Ecclesia Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & Justos terræ, & omnium Seculorum.
- LXXIII. Quid est Ecclesia, nisi coetus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Seculi?
- LXXIV. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.
- LXXV. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona; Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.
- LXXVI. Nibil spatiösus Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium Seculorum illam componunt.
- LXXVII. Qui non dicit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.
- LXXVIII. Separatur quis à Populo electo, cuius figura fuit Populus Judaicus, & Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Euangeliū, quam non credendo Euangeliū.
- LXXIX. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria sacrae Scripturæ.
- LXXX. Lectio sacrae Scripturæ est pro omnibus.
- LXXXI. Obscuritas sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi scipios ab ejus lectione.
- LXXXII. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sanctorum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.
- LXXXIII. Est illusio, sibi persuadere, quid notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba Virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & natae sunt hæreses.
- LXXXIV. Abripere è Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.
- LXXXV. Interdicere Christianis lectionem sacrae Scripturæ, presertim Euangeliū, est interdicere usum luminis filii lucis, & facere ut patientur speciem quandam excommunicationis.
- LXXXVI. Eripere simplici Populo hoc solatum, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolice, & intentioni Dei.

Modus